Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

8. Martij. 8. Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

concupiſcentia. Præter hanc enim nihil eſt, quod timeamus.

8. *Martij.* 8. *Idus.*

Floruit circa annum 1280.

B. HENRICE de Marilis: qui cùm in opulentiſſima paterna domo videres, quantùm ſuperbia Mundi, cum ſuis concupiſcentijs, à recta ad cælum via aberret: ſancto horrore triſtiſſimæ æternitatis(quæ gaudiorum, vel potiùs inſaniarum, mundi finis eſt) concuſſus; cum Rege Pſalmographo ſtatuiſti, abjectus eſſe in domo DEI, magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Fugit ex paterna domo:

Quamobrem, pueritiæ annos non multum prætergreſſus, ad Villarium, ſolo DEO duce, confugiſti. Tu quidem teipſum abjeceras: ſed lucernam te eſſe, prælucere dignam,

agit 50. annos in S. Ordine.

Villarienſes æſtimaverunt: qui per annos quinquaginta, ſub quibus diu Priorem agebas, ſanctimoniæ lumen venerabantur. Et veram fuiſſe illorum de te opinionem, DEUS per revelationem

In ejus pectore apparet lumen.

teſtari voluit. Ex religioſis enim cuidam probatę virtutis ſeni, quoties occurrebas, toties videbaris geſtare intrà viſcera lucidiſſimam lampa-

dem, radios de ſe diu noctúque emittentem. *O ardeat hæc lampas in corde meo, quæ alio igne in te non alebatur, niſi divini amoris! Quàm ſuavis foret, quàm felix hic ſol, qui longam, & moleſtiſſimā hiemem, clariore tandem lumine ſerenaret.* Ignis amoris Divini.

B. NICOLAE Fagan: qui cùm atra nubes hæreſeos inciperet Inſulas Britannicas funeſtare; in Hiſpanias transfretáſti; ſub Angelico candore nitentibus velis, feliciùs, quàm Anglicanis, ad portum vitæ immortalis provehendus. Inde tamen ad novos denuo labores in patriam, jam Abbas, mox Epiſcopus Watterfordienſis, evocatus, zelo Apoſtolico te furori heterodoxorum objeciſti: nec te à fervore lucrandi Chriſto animas abſterruere lapidum, ac fuſtium grandines, quibus in te ſæpe, non ſinè multo ſanguine, rabidi veritatis oſores, debacchabantur. Poſt ſuperatas tandem tot turbas te placida mors, cum ingenti Catholicorum luctu, manibus impiorum in cœlum ſubduxit. *Spem vitæ æternæ abjicit, qui patientiam. Ipſemet Dei Filius non per aliam viam redijt in regnum ſuum: non aliam ſtravit eò illum ſequi cupientibus. Sit iſta frequens mea, non ſolùm meditatio, ſed etiam exercitatio: ac denique via ad vitā, ubi nulla eſt patientia, niſi coronata.*

Obijt anno 1617.

Ab hæreticis multa ſuſtinet.

Patientia.

Floruit anno 1240.

B. BERENGARIA, Regis Legionenſis filia: quæ in monaſterio Holgenſi, ſub Ciſtercij legibus, per dignas regio ſanguine virtutes, ad regnum felicius conſcendiſti. *Inter prima ad perfectionis ſtudium ſubſidia numeratur, prudens æſtimatio, & exinde ſequi ſolitus rerum terrenarum contemptus. Sed quis illas tecum non flocci habeat, cùm earum ſolus, quaſi per ſomnium aſpectus, nobis in hoc exilio concedatur?*

Rerum terrenarum contẽptus.

S. BERNARDUS, ſer. 24. in Cant.

Non habemꝰ hic permanẽtem civitatẽ.

Eſt ergo hoc habitaculum corporis noſtri, non civis manſio, aut domus indigenæ; ſed aut tabernaculum militantis, aut ſtabulum viatoris.

9. Martij. 7. Idus.

Obijt anno 1130.

B. HENRICE, magni Othonis, Burgundionum Ducis, ac liberaliſſimi Fundatoris Archicœnobij Ciſtercienſis, magna quoque ac digna proles: qui difficilia illa recèns inſtituti Ordinis principia minimè horrens, ſed mundi delicijs præferens, te humiliter magiſterio Divorum Alberici & Stephani ſubmiſiſti. Sic Paupertatis titulo & ju-